Frid. Zamell

ADOREÆ POETICÆ

Spicilegium.

ELBINGÆ

Typis AchatI CorellI

anno M. DC. XLVII.

Lectori:

Mille meæ qvàmvis implerent horrea messes
(Scis illas læto sub Jove, Lector, opes)
Qvas vidit spicas, manus has qvoq; cara rogabat.
Et dixi: hoc superest: aufer avara manus.

Ad liberos natu minimos.

ELbingam fluvius cognominis alluit urbem:
Hinc Druso, hinc lato cincta rigatur Habo.
Huc ruit Istuleis Nogadus delapsus ab undis,
Eq́ jugis vivæ copia manat aquæ.
Quæritis, ô pupi, tot parvos unde Quirites
Drusis alat? fontes, unde petantur, habet.

In villam Calometros.

QVisquis rura petis Calometeros *urbe relictâ,*
Seu bidui ducas tempora, sive diem,
Omnia fer Tecum. Piscem licèt unda palustris
Præbeat, inq́ foco proxima silva crepet,
Nil de corte petes: cui nec gallina nec anser
Penè per æstates incubuêre decem.
Cùm desint vaccæ, nec lac nec meta butyri est,
Nec Cereris mica est, sed neq́ concha salis.
Quòd si oculos animumq́ juvat Te poscere solos,
Gramina sunt campis & geniale nemus.
Sæpe ego jejuno Te ventre Amarylli canebam,
Et nullis ovibus pastor inanis eram.

In Album Ioachimi Molleri.

FOrtè Tuis olim repetes mea nomina chartis,
Atq́ illud dices: Hic qvoq́ noster erat.
Non levibus foliis, non duro marmore fretus
Inscripsi fibris Te Ioachime meis.
Serva animum qvemq́ ferat fortuna laborem,
Et sit ab ingenio sors Tua læta Tuo.

In Rogerum.

QVòd pessimè Rogerus hospes Norico
Oleret, illum intoxicatum credere

Qui pariter in cœnâ coïsent Appii.
Audentior ego & fortè eodem in asere
Propior, qvid, ajo, tetrici hoc odoris est?
Qvod poculum Tibi manè, qvâ mistum est manu?
Nihil, inqvit ille, succi erat venefici:
Contrarium sumsi venenis allium.

In rosas.

ECce Venus tunicis, qvibus est formosior, intrat,
Solibus his Paphium respicit illa nemus.
Aëriæ salvete rosæ, spiracula divûm;
Testatæ Vestris dotibus, esse deos.
Antra Venus fugiat, semper dignata rosetis
Esse suis, titulo digna locoq; foret.

De Circulo & Lineâ.

TOt voculas vocumq; differentias
Prodire bis denis tribusq; literis,
Stupenda res est omnibus mortalibus.
De Circulo atq; Lineâ qvid dicitis?
In singulis sunt illa rerum semina,
Qvæ nulla mens mortalium complectitur.

Ad Borean de Turcis.

REspicit Occasum, qvi tractat Apollinis artes;
At Borean, cœli qvi vaga signa notat.
Ad matutinum Christi grex vertitur Ortum:
Austrinam spectat Turcica turba plagam.
Qvin, Borea, perimis Mahometica sacra colentes,
Ecce Tibi obvertit gens ea sola nates,

De Cœlio.

SAcra dies rerum Domini natalibus instat:
Quam volat ut dignè Cœlius, istud agit.
Sex Libycos tigno gallos suspendit ab alto,
Sex lepores nemorum munera jussit emi.
Poscit ab his ipsis perdicum examina silvis,
Iamq; habitam lautè perdidit hara suem.
A lento veniet pingvis lucanica fumo,
Et tenùs à liqvido bubula massa sale.
Si glacies adstrinxit aqvas, fulicæq; negantur,
Gratus ab hiberno frigore piscis adest.
Pollinis in promtu est, quod scriblitaria sumet:
Cætera sunt penoris, cætera cortis erunt.
Qvid soleas sutor, qvid tardat sartor amictus?
Ipse ait, atq; ubi sint optima vina rogat.
Nullane sacrorum, Cœli, Tibi cura? Qvid ille?
Cùm vacat, ad templi limina prona via est.

Ad ea Iohannis Evangelistæ:

Καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν.

Ει νόσφιν αὐτοῦ γένετο οὐδ' ἕν, qvo Dei
Vindex honoris Scriptor addit Emphasin,
Ipse insuper cunctis nisi obtenebrantibus
Apertus, etiam Tu illius Paulli assecla,
Qvi mallet hæc interlita esse cæteris,
Recidis usq;, & usq; vellis corticem
Scilicet, ut integrum propines nucleum?
Nihil est, qvod absq; fraude nobis auferas.

Meditatio de cunis Christi veri Dei.

ITe Dei ad cunas: simul hunc scrutemur amorem
Numinis. O qvamti ponderis ille fuit!

Summe parens, cujus de Nato arbitria sunt hæc
Et de sorte meâ, da mihi luce frui.
At qvò vertam aciem? fulgore repellimur illo,
In qvo hoc arcanum, qvod meditaris, inest.
Et sunt, qvi credant ea sensibus obvia nostris?
Cerinthe ad tamtum lumina claude jubar.

Deus homo natus.

QVid loqvar? obstupeo Christi ad præsepia missus.
Nam qvid homo tener est, qui Deus antè fuit?
Omnia qvi struxit, qui sustinet omnia solus,
Huic qvid massa dedit juncta deinde Deo?
Atq; eadem in miseros Superûm testentur amorem;
Vnde hæc tam vili gratia facta luto,
Iret ut assertum per tot mysteria rerum,
Perq; suæ sobolis flagra necemq; Deus?
Nil ego comprendo, nec præsens ista facultas.
Pertinet ad liquidos hæc Schola tota polos.

Caula, Aula.

SVccessit caulæ Iosephus teste Latino.
Qvid Græcus dicet lubricus? aula fuit.

Ad Deum ter Opt. Max.

DA Deus, ut pridem commissa recentibus annis
Exeat à tabulis improba noxa Tuis.
Ista Sionéum foveat clementia Regem.
Amplius est à Te qvod, pater alme, rogo.
Agnosco tetricæ crimen lethale senectæ.
Ne reus illius, ne reus hujus agar.

Ad Calliopen.

CAlliope, totâ cœnare dapaliter urbe
Constituit censu cum potiore minor.
Qvid Tibi qvid mihi nunc ponam? vivemus abunde
Hoc villo, hoc frugi qvo licet esse cibo.
Scis facili nostras absolvi carmine cœnas.
Hoc mihi sub noctis tempora nectar erit.

Ad Clariss. M. Balth. Voidium Theol. ac P. L. Cæs. anno sal. n. M. DC. XLVII.

ECce iterum decimo Ianus se respicit ortu,
Dum qvinqvagenam septima condit hiems.
Tot Tuus auspiciis Vates produxerit ævum,
Calliope, Tecum lætior hora fuit.
Nunc qvoq; natalem ne turbet nubilus Auster,
Qvem mihi convivam, qvæ mihi vina dabis?
Ito puer procul hinc ad amici tecta Voidi
(Si tamen ad caras est via longa manûs)
Dic: Meus optat herus Tecum hunc consumere Solem
Et micam salis & qvod sine fece merum est.

Ad Ludovicum Fridolevum Fil. cùm eodem anno XII. Cal. Martias in hanc lucem primùm genitus esset.

SAlve nate recèns, salve puer ore venusto,
Cuî premimus patriis ista labella labris.
Tu Ludovicus *eris: sed & altera nomina ponam,*
Et matri dicam: Qvid Fridolevus *agit?*
Ecce Tibi seras patris sub funera cunas,
Et capita hæc fratrum robore nixa suo.
Deéro senex genitor cùm Tu cumulaveris annos,
Ac modicâ Tutor Te relevabit ope.
At disces, qvàm non undarum copia prosit,
Si potuit tenuis limfa fugare sitim.

Multa

Multa quidem patrii præstant momenta lacerti:
In laudem valuit plus generosus amor.
Semper agit, curamq; mei curamq; meorum
Sustinet, hoc mundi qui moderatur opus.
Vive diu, docilemq; animum virtutibus imple:
Non hominum deerit, Nate, deûmq; manus.

Ad liberos carissimos.

SI Gotofrede *Syris absunt Tua nomina libris,*
Nec Te Chaldæus Carole *textus habet,*
Seu Federice *lates, & Tu* Gotoliba *negaris,*
Tuq; in divinis Adelogunda *legi,*
Te quoq; si nusquam recutitæ Sabbatha gentis,
Hac Ludovice *recens edite luce, crepant;*
Vos genus ignotum Superis, mea pignora, sitis?
Mittite tam vanam (res juvat ipsa) fidem.
Sæpe subest ratio, cur sit qui nomen avorum
Induat: à casu, quod gerat, alter habet.
Esse viris aliud positum, quos concio Petri
Flexerat, in sacris quis mihi præstet aqvis?
Et quotus in numerum Sempronius *iverat illum!*
Plurimus in tamtâ plebe Metellus *erat.*
Immistos videor mihi centum agnoscere Cajos:
His inerant Tulli *sex,* Titiiq; *decem.*
Audieris Græcos, ducent à Nestore *partem:*
Ajacem *referent Dardaniumq;* Parin.
Cum Paridis *flammis subeat quoq;* conscia furti:
Illa decus Fidei *sic quoq; dicta fuit.*
Longa Corinthiacos *emendat Epistola Cives:*
Qvid sobolem appellent, hoc sinit esse patris.
Volvite qvas volvit Galatarum *natio ceras:*
Nominis ad leges non abit ullus apex.

Hæsit

Staurofori *in rigidos missi venêre Borussos,*
Ut fractæ penitus res Orientis erant.
Tum noster motus Superûm pietate Samiles
Teutonicis hæsit sed sine teste viris.
Clàm qvoq; præsidio Cereris relevabat egentes,
Vndiq; cùm clausos ureret atra fames.
Indicio valuit suspicio langvida vero,
Proq; rei fama est ipsa locuta fides.
Injiciunt misero populares vincula dextræ,
Ferventiq; urunt guttur hiantis aquâ.
Dein verubus religant, & quos nunc vellet amicos,
Illorum à flammis limen adire jubent.
Venit Christopolin: nec, quàmvis vita maneret,
Vitæ idem mansit qui fuit antè vigor.
Tustinus *patrem Germanaq; castra seqvutus*
Amissum domitâ gente recepit agrum.
Hinc Pronii durastis avi. Laurente Tilomas
Editur: hunc Clemens *cœpit habere patrem.*
Est Thomas *Clemente satus, Thomâq;* Jacobus,
Qui Nostrûm Proniis ultimus egit agris,
Plana loca optabat pro collibus alter eodem
Nomine, *& à thalami fœdere compos erat.*
Gessit idem nomen, *spreto* qvi *rure* Borussæ
Parthenopes *cultâ* maluit urbe frui.
Fugerat hanc Janus *fatis hei pressus iniquis!*
Cuî dedit erranti Drusis amœna Larem.
Hoc genitus Simon*:* pater *à Simone profectus*
Est meus: huìc nomen, qvo vocor ipse, *fuit.*
Illud Natorum gestas Frederice *meorum*
Tertius: adscripta est pars Gotofrede *Tibi.*
Tu partem Dederice *trabis: neve illius expers*
Tu Fridoleve *fores, portio justa Tua est.*

 Vos

Vos omnes mihi dulce decus. Superate per annos,
Qvos sine nube deus mitior esse velit.
Primus ego obscurâ pro nobilitate Samilæ
In patriam retuli signa decora domum.
E silvis mihi natus honor. Vos Præses Apollo,
Et faciles adii per loca sola deas.
Sordibus & tenui vulgo procul integer hausi
Qvas mihi sincero fonte dedistis aquas.
Ingenii res est, & Vos præstare potestis,
Patris ab exemplo majus inire decus.
Morte meâ Vobis, mea gens, hæc fœdera constent:
Fraternâ miseros velle juvare fide.

Ad Federicum filium.

SVme puer violam nive decedente revulsam.
Qvid præstent flores, jam Federice sapis.
Tu minimo? ob spernit tales Ludovicus odores,
Cuî satis est nuper mamma negata Tibi.

Organicen.

PEtrini Organicen fora post olitoria templi
Se miserè qveritur vivere, poscit opem.
Sex vacat ille dies, sacratâ luce laborat.
Si qva fides, numquam hoc non malè cessit opus.

De Gallâ.

GAlla viro nupta est: suntq; illi forma vigorq;.
Egerat hoc genitrix, ut simul ista forent.
Tunc mea, sic dixit, furtivos mittet amores,
Cùm juvenem succi nacta virentis erit.
At qvid Galla viro primùm hunc experta Gradivum?
An qvâvis horâ Mars mihi talis eris?

Ad

Hæsit idem Theudæ, qvo nutrix blanda vocârat:
Et vir habet Silas non aliunde datum.
Hoc rude & à silvis: & cur puerile remansit,
Cùm priscum eluerent dia lavacra nefas?
Non esse in vocum nôrant discrimine nostrum
Fœdus: in hoc casti pectora moris eunt.
Ecqvis Alexandros Syrio mutasse Jacobo
Dicitur in populo, gens Ephesina Tuo?
Timotheo secuit nunc hæc nunc illa Magister
Providus: at nullum pars habet ista locum.
Scripsit hic ad notos Pompeji clade Philippos.
Hoc tacet: & si qvid præterit, absq; dolo est.
Augustine, Tuum non extat Biblide totâ,
Non Damasi nomen, nec Cypriane Tuum.
Qvamtus ab Illyriâ Latios instruxit ephebos,
Ad Bethlemæos missus ab Vrbe Lares!
Qvamta viri pietas! Sacrarum in Codice rerum
Nominis exemplum non habet ille sui.
Qvid dicam Æmylio Romano à Consule dictum,
Pro Saulo Paullum qvem pia turba colit?
Prætulit Hebræis peregrina vocabula missis,
Vt nomen scires hoc placuisse Deo.
Traductos Latio Marcos & Rege Philippo
Ipse suos testes nomina Christus habet.
Qvid vexant animos Chananéa incognita nostros?
Certiùs à teneris patria verba movent.
Sed qvid inest noxæ pueris Josephe Zamell,
Qvid Tibi peccavit vocula nata domi,
Vt turbes patrios imitantia pectora motûs,
Damnet in Hansiporis cùm nihil ille Tuis?
Sint Tibi Davides, sint cum Salomone Nathanes,
Inq; Tuo lallet nana Maria sinu.

Qvid

Qvid tum, si tripodes illis & sceptra negantur,
Nec veniunt eadem nomina dote pari?
Qvod Tyriis discrimen erat Solymæq; puellis,
Non à nominibus sed pietate fuit.

Ad Eosdem.

Succincta distinctaq; Majorum enarratio.

GEns antiqua sumus pugnacibus orta Borussis.
Dicta recensentis, stirps mea, conde patris.
Vt Scythiæ pubes istas accesserit oras,
Isula vicini qvà maris intrat aqvas,
Constat: & ut possint ea dextrè secula disci,
Nec sit ad Argolicos ire necesse deos;
In triviis sedeant, qvi nugis omnia miscent,
Transeo: quà mittor, cœpta tenenda via est.
Primus in Historiis, qvem vera graphéa Samilen.
Indigitant, Slavis nomina debet avis.
Seu virtus fuit illa viri, qvodq; esset amicus
Omnibus, hoc meruit nomen habere prior.
Huîc Pronios latè radebat Surgana fines:
Sedecim passûm millia Drusis abest.
Et generi & generis numqvam virtutibus impar
Majorum egregio sangvine clarus erat.
Ac qvoniam Proniis (res est in voce Peronin.)
Turba Borussorum sæpe coibat agris,
Ille magistratûs & summos gessit honores,
Atq; inter primos induit arma duces.
Iverat Euphrates populi sub sceptra remoti,
Qvem mare longinqvum Francaq; terra dabat.
Iordanis Solymæq; pio Mavorte receptæ
Digna loco & patrio sacra habuêre Deo.
Nescio qvæ foret ambitio; qvæ dira cupido
Et fas & fasces verteret Imperii.

Stauro-

Ad Lectorem.

ITerum Te compello, Lector benevole, idq; in calce lusuum meorum, quos Tecum participare volui. Multa in illis offendes, quibus dubio procul censorium unguem impresseris: atq; hoc ut faceres, pridem hortator fui: quo rectè à Te animadversa etiam ego cognoscerem, & ea quæ emendationem desiderant vel Tuo beneficio commendarentur omnibus. Ipse Te in paucis ad quamtitatem potissimùm spectantibus occupo. Ultimam in *fame* corripui, semel ausus: quòd in tertiæ inflexionis nominibus, uti hodie est, ita sub eorum firmâ de ablativis regulâ habuerim: produxi alibi veterum autoritati usuiq; non reluctatus. Neq; improbo tamen, si pro eo quod est: *Et fame languentes* facili transpositione malis:

Lan-

Languentesq; fame; aut ita emacules: *Et fame inanitos.* Locus eſt in Phalloſthene. Idem nobis in *ſenectus* non ſine exemplo permiſimus. At ne ſuſpenſum teneam Te, Lector; pro illo in eâdem opellâ noſtrâ: *quem pulcra ſenectus obibat* ſubſtitues: *quem pulcra ſenecta colebat.* Priorem in *pulex* cum Taubmanno itidem ſemel corripui, carminis de pulice conditorem ſecutus. Eſt etiam ubi primam in *Chlöe* extenderim cùm Græcorum ο in ω mutātium licentiâ fretus, tum Ionum dialecto. Si cui igitur in verſu minùs placet planum Chlöe, meâ pace *Chlœe* mollius legerit. Alio vocabulo poteram indigitare illud mulieris, ſed arriſit nobis ab amictu ſumtū: nec oportunus erat tum corripiendæ locus ſyllabæ. *Tapes. tāpedis* fœmininum à Græco τάπις, τάπιδος formavimus longâ recti poſtremâ, quòd ejus con-

contrarium apud Latinos Poëtas nusquam extaret. Duodecimo Epigrammatum libello me nulla *Tetrasticha* in Paullum aut quemvis alium ſcripſiſſe dico. Luſus eſt. Nam proximè antè unicum Tetraſtichon in eumdem Paullum eſt; ſatis, ut arbitror, aculeatum. Nego igitur me Tetraſticha quædam aut aliquot præſertim eo titulo edidiſſe niſi Regis mei gratiâ. Deinde uti ab obſoletis non abſtinui, ita nec à barbaris temperavi, ſi locus aut jocus poſceret. Cætera fortè non pauca ἐν τοῖς μνημονικοῖς ἁμαρτήμασίν ἐστι, ſuâ veniâ non indignis. Nec dubitā fuiſſe, quæ properanti ad graviora animo inconſultiùs exciderint; nonnulla, ut *lito* pro *libo*, *como* pro *colo* & ſimilia typothetarum inſcitiæ, quam fruſtra correxeris, adſcripturus. Illorum nec minùs correctoris noſtri culpâ an temeritate

tate in *Lusibus familiaribus* sub titulo *Puellarum ingenium* tertium secundo disticho, XVto Epigrammatum libello in Iambicis senariis *ad Appianum* septimus sexto versui præpositus est. Omissa nonnumquam, quibus sublatis ἀνόητα sequentia, ἀπόπτα apparent antecedentia. In neminem hominum cecidit absoluta felicitas: inde humanum, errare. Vale Lector humanissime.

Frid. Zamelius.